

[130r]

**Telo furoris impio amoris potior vis,
Patrophilo, natu minimo,
imperii corona olim ab exanimi patris corde Cimmerias inter umbras
illustris reddita,**

nunc pro theatro adumbrata
ab Ingenua supremæ classis [grammaticæ] juventute
in gymnasio S. Jesu Hradistii
a. 1731, mense Junio, die 30.

PERIOCHE

Tres fuere Parysadae Cimmeriorum Regis filii, quisque ab obitu patris rerum potiri affectantes. Ariopharnem Thraciæ Regem sibi judicem delegere, qui erutum e tumulo cadaver patris arbori alligat, arcui sortem committit, eo regni successore destinato, qui cor parentis feliciter tetigisset. Aberrare primi a corde simul et solio, cum natu minimus, impium natu majorum detestans facinus, ab Ariopharne amoris potioem vim asseverante, regio fit decorus diademate. Diodorus Siculus, l. 20.^a

PROLUSIO

ACTUS I.

SCENA I.

Personae: Philetēs, Levindus, ephaebi.

5	Philetēs:	Illustre nomen Principis toto solo Augere posse, gloriæ augustum jubar, Per ora ferri gentium famæ tuba, Gyrare supra vertices sceptri minas, Sancita ^b ferre subditis, regni caput Praeesse populis, Principis coram tholo Lunare turmas poplitem et solii gradum Humili vereri basio est felix honor. [130v] Hoc est in orbe terreo Regum genus,
---	-----------	---

Titul gymnasio] Gymnasio *TF*.

^a Ve skutečnosti však Robolt zřejmě čerpal z díla Michaela Pexenfeldera *Ethica symbolica*. Cf. Pexenfelder: *Ethica symbolica*, s. 472.

^b Varianta part. perf. pas. slovesa *sancire*, zde použitá zřejmě z metrických důvodů. Stejně viz v. 820.

10 Qvod est in axe syderum Phoebi decus;
 Rex, Numen orbis, gloriae primas tenet.
 Et hanc honoris maximam Elpistus legat,
 Superbus ostro ac gloriae celsus throno
 Solus micantes regiae fasces gerat?
 15 Elpistus? Ille generis opprobrium regat
 Imperii habenas? Stirpis augustae pudor
 Regale solium polluat? Quid? Itane ego
 Felicitatis ingemam infaustas vices?
 Sortis sinistrae cardines volvam tetrus
 20 Sepultus umbris? Solus Elpistus suae
 Beatitatis jactet augustum jubar,
 Luce radiatus imperi? Ego populi probrum,
 Ego ludus orbis? Risus astrorum, Stygis
 Infame fiam dedecus? Qvis ferat? Ego?
 25 Vetat id aviti nominis clarum decus
 Et ego renitor. Dira me rabies edit,
 Nec sidet ante, qvam patris solio inferar.
 Ideone sceptrum desero, secundum patri
 Natura qvod me filium infausto dedit?
 30 Absit! Secunda gloriae ad portum vehar
 Sortis phaselo, scepra gyrabo manu.
 Iniqua lex est, filium si qvae vocat
 Ad scepra primum, digna tumulari aemuli
 Livore fratris. Huc rapit mentis furor,
 35 Fortuna qvo me prohibet; huc virtus feret.
 Ut vero habenis imperi tuto frui
 Liceat Phileti, tegere flammatum decet
 Furoris oestrum. Scandere stat animo thronum,
 Astu doloqve ludere Elpistum juvat.
 40 Ad scepra facilis fraude fit Regi via,
 Simulare quisqvis noverit, dignum gerit
 Caput corona. Fraudis inveni strophas!
 Fiet, ut honoris ludio ac regni probrum
 Nunqvam praealtum gloriae ascendet thronum.
 45 Hocce pretiosus dabit in effectum annulus.

Age jam, Levinde! Praepete Elpisti pete
 Aedem volatu, munus a nobis refer,

[131r]		Simulati amoris tesseram et fictae notam Humanitatis condulum, fratri advove,
50		Ut aeviternos volvat imperio dies, Cimmeriae in altum gloriae evectus thronum.
	Levinus:	Mei imperata Regis ad nutum seqvor.
	Philetes:	Succedet astus, carbasa allambit favor Vehorqve fausto gloriae ad portum Noto.
55	Ephaebi:	Fortuna revehat Principem ad regni thronum!

SCENA II.

Personae: 4 proceres.

	Procer 1:	Qvousqve viduus Principe manebit thronus, Qvi jura dictet gentibus?
	Procer 2:	Regno huic time, Ubi nemo habenas imperi Princeps tenet.
60	Procer 3:	Sine Rege nullus constat imperio vigor. Est qvippe regni vita Rex, qva si thronus Privetur, omnis regiae excedit vigor.
	Procer 4:	Qvod nempe moles corporis et artus erunt Vegetante cassa ^c spiritu, hoc pariter erit Viduum supremo Rege Cimmeriae solum, Ni videat alium regio admotum throno.
65	Procer 1:	Rite ordinatus ne brevi regni status Chaos vetustum revocet et recte suo Librata moles pondere in praeceps eat, Habet necessum Principe beari novo,
70	Procer 2:	Qvi dirigendo praesit, ut par est, solo. Qvi servitute subditos nunquam gravet Prematqve populi jura, sed justam suis, Qvae sola Regum est cura, tutelam paret.
	Procer 3:	Similis in orbe Caesar a Caelo datur.
75	Procer 1:	Ut astra similem destinent regno Ducem, Opus, ut supremo thura sacremus Jovi.
	Proc. 2, 3, 4: ^d	Litamus una.

57 huic] hui *TF*.

72 justam] justum *TF*.

76 Opus] opus est *del. TF*.

^c Tvar *cassa* nelze vztáhnout ani ke slovu *moles* ani ke slovu *corpus*, snad jde tedy o chybu. Vzhledem k tomu, že v. 62–64 se ve stejném znění nacházejí ve hře *Absque pugna victoria* (NM, 26, f. 468v), však toto místo neemendujeme.

^d *Proc. 2, 3, 4, = Procer 2, 3, 4.*

- Procer 1: Magne Caelorum Arbiter,
Angustiatae gentis exaudi preces.
- Cantus**
- 80 Jupiter, celsi Moderator orbis,
Jure qui nostras Tibi poscis aras,
Sceptra regnorum trabeasque Regum
Dividis orbi,
Subveni genti Duce destitutae,
Judica nobis meritum tiaram
- 85 Et Ducem regni solio beandum
Aethere mitte.^e
- [131v] Procer 1: Quid hoc? Ad aras labitur sceptrum Jovis.
P., Proc. 2:^f Favor est Tonantis, quo beat regni thronum.
- 90 Procer 3: Brevi videbit sceptra gyranthem manu
Cimmeria tellus Principem.
- Procer 1: Hunc Summi favor
Spondet Tonantis regiae.
- Procer 4: Qvem tu putas
Throno admovendum?
- Procer 3: Scandere imperii thronum
Per aequitatis ordinem Elpistus meret.
- Procer 4: Quidquid?
- Procer 3: Nec aliud.
- Procer 4: Principem Elpistum paras?
- 95 Procer 3: Non ego.
- Procer 4: Qvis ergo?
- Procer 3: Jura.
- Procer 4: Qvae?
- Procer 3: Legum.
- Procer 4: Nihil
Per aequitatis ordinem Elpistus meret.
- Procer 3: Meret tiaram Principis.
- Procer 4: Tu id asseris.
- Procer 3: Hoc ego probo. An non major Elpistus Ducum est?
- Procer 4: Quid inde seqvitur?
- Procer 3: Qvod seqvi debet.
- Procer 4: Quid est?
- 100 Procer 3: Per ipsa cedit jura majori minor.

^e V. 79–86 sapfická strofa.

^f P. Proc. 2 = *Popa, Procer 2*. Kněz chybil v seznamu postav v úvodu scény, v textu není naznačen jeho příchod a říká jedinou repliku. Možná je tedy připsán omylem.

- Procer 4: Distingvo: quando major est regni capax,
Concedo, quando est incapax regni, nego.
- Procer 3: Sic arguo: sed Elpistus est regni capax,
Solutio ergo nulla.
- 105 Procer 4: Subsumptum nego,
Nego rotunde.
- Procer 3: Sed probo.
- Procer 4: Nego.
- Procer 3: Probo.
Illum capacem regio sceptro puta,
Qvem populus ambit, jura regnorum expetunt.
Sed populus Elpistum ambit, jura regnorum expetunt,
Ergo capacem regio sceptro puta.
- 110 Conclusio anne debita?
Procer 4: Ast nihil probat.
- Procer 3: Nega ergo, si quid poteris.
- Procer 4: Audi ergo.
- Procer 3: Audio.
- Procer 4: Illum capacem regio sceptro puta,
Qvem populus ambit, jura regnorum petunt.
Sed populus Elpistum ambit, jura expetunt,
Ergo capacem regio sceptro puta.^g
Illum capacem regio sceptro puta,
Qvem populus ambit, jura regnorum petunt.
- 115 Procer 3: Haec major est.
- Procer 4: Haec transeat.
- Procer 3: Sed quid minor?
- Procer 4: Sed populus Elpistum ambit, hoc clare nego.
- 120 Procer 3: Negas minorem?
- Procer 4: Pernego.
- Procer 3: Sed ego probo.
- Procer 4: Nihil probabis, populus hunc nunquam cupit,
Regni neque petunt jura, quem ferus regit
Animi impotentis genius. Elpistum hic regit,
Ergo...^h
- 125 Procer 3: Tu iniquum Principi aspergis probrum!
- Procer 4: Qvod est reapse cognitum mundo probrum,
Injuriosa proditum caret nota.
- Procer 3: Et qvod reapse gloriae famam obtinet,
Probro aemulantum noxia atratur nota!

^g V. 112–115 zřejmě připsány omylem.

^h Zřejmě záměrně nedokončená věta, přerušena následující replikou.

- [132r] Procer 4: Generis se ipso Elpistus est sui probrum.
 130 Procer 3: Generis se ipso Elpistus est sui decus.
 Procer 4: Nota improborum scelera non habent decus.
 Procer 3: Qvemnam ista ferunt probra?
 Procer 4: Qvem?
 Procer 3: Elpistum putas?
 Procer 4: Non puto, sed ampli sceleris authorem scio.
 Procer 3: Palmaris est calumnia, ulciscor probrum!
 135 Hoc illico ense spiritum evello fibris
 Elpisto iniquum. Jam ruo!
 Procer 4: In ferrum ruis.
 Larinus: Qvis hic in arma proruit?
 Procer 3: Nunquid meum
 Jubes tueri Principem?
 Larinus: Qvem Principem?
 Procer 3: Hoc ense meritum vindico Elpisti thronum.
 140 Larinus: Reprime furoris impetum.
 Procer 3: Ulciscor probrum.
 Procer 4: Prius tua probra vindices poenas luent.
 Larinus: Sinite haec et ite, qvo Ducum nutus citant.

SCENA III.

Personae: Elpistus, Chelindus.

- Elpistus: O sortis aureum dulce ridentis jubar!
 Ergone tandem purpuram Elpistus gerat?
 145 Ergone regnet? Nec triumphali salit
 Mens icta plausu nec parum sui capax
 Exultat animus? Fateor! Exultat, salit,
 Diffundit intus viscera, haud sese capit.
 Ego nempe aviti gloriam imperii geram!
 150 Spondet id amati Pyladis in Orestem favor.
 Regnabis ergo, Elpiste! Regnabis! Favet
 Id tibi Philetis, gloriae augustum jubar,
 Favetqve honoris essedum. Id clare notat
 Submissus ille nictitans gemmae lepos,
 155 Testis favoris annulus, qvo uni tibi
 Unio Philetis gloriae innectit decus.

- Jam rara nobis pretia desponsant thronum!
 Ast quid character annulo insertus notat?
 In nos amoris prodigi effectum probat.
 160 Lemma lego positum: „Non capit regnum duos“ⁱ
 Bene est, beate est. Regna si haud capiunt duos,
 Ut posita epigraphe conotat, solus beor
 Elpistus ebore, solus imperium gero.
 Unus Philetis nos favor throno invehit.
 165 Impero, gubernano.
- Chelindus: Metuo, si fari licet,
 Auguste Princeps.
- Elpistus: †Anocium† quisnam metus
 Percellit animum, lemma qvod dubium movet?
 [132v] Loquere!
- Chelindus: Philetis ludere Elpistum parat.
 Est umbra amoris, fucus incusans dolum.
 170 Livor Philetis Principem throno cupit
 Eliminatum et solus imperio frui
 Flagitat avito.
- Elpistus: Qvod rei signum arguis?
 Chelindus: Arguere qvod me lemma subjunctum jubet.
 Si regna non capiunt duos, regni essedum
 175 Solus Philetis exule Elpisto expetet.
 Simulat Ulyssen^j Principis mendax favor.
- Elpistus: Germana nunqvam Principis novit fides
 Simulare fraudem, notus est nobis amor.
- Chelindus: Qvandoque amore se induit fictus furor,
 180 Ut magis amoris schemate in fraudes agat,
 Qvod fratris ipsum lemma livoris satis
 Depinxit umbris.
- Elpistus: Candor affectus neqvīt
 Livoris umbris contegi. Veram exhibet
 Princeps amoris tesseractam et nosmet jubet
 185 Sperare fasces imperi. Cujus proin
 Stat visere Lares, certus ut regno fruar.

ⁱ Cf. Seneca, Thyestes, 44.

^j Ulyssen – řecký akuzativ.

SCENA IV.

Personae: Ariopharnes, ephaebi, Patrophilus cum aula etc.

- Ariopharnes: Hic alta surgunt tecta Cimmerii soli
Et Parysadae cernere est Lares Ducis.
Illuc amoris concitus jam alis feror.
190 Sed quis moratur semitam? Est Patrophilus,
De Parysadae stirpe postremus satus.
In vota forsani rediit, affatu petam.
Avesis, avitae gloriae ac stirpis decus!
- Patrophilus: Parem salutem reddere Augustus jubet.
195 Qvo vero Princeps concitus adurget gradum?
- Ariopharnes: Ad Parysadae provolo thronum patris.
Licetne dulci commode alloquio frui?
- Patrophilus: Nunquam licebit.
- Ariopharnes: Quid vetat?
- Patrophilus: Fatum vetat.
- Ariopharnes: Fatisne cessit pater?
- Patrophilus: Ita est.
- Ariopharnes: Qvo tempore?
- 200 Patrophilus: Jam bis revexit auream Phoebus rotam,
Cum fila vitae ferrea abruptit Dea,
Infesta patris Lachesis.
- Ariopharnes: Hoc justum parit
Animo dolorem.
- Patrophilus: Principis vero jubar
205 Nubila serena luce moeroris premit.
Ut nocte pulsa gratior Phoebus redit
Radiatus auro, vita sic nobis redit
Moerorqve totus gaudii in vices abit.
- [133r] Ariopharnes: Occasus autem Principis nobis parit
Nubila doloris.
- Patrophilus: Lugubri invehere decet
210 Animo serenum. Thraciae invictus petat
Una Monarcha regiam.
- Ariopharnes: Ut Princeps jubet.
- Patrophilus: Tu vero pernix nuncia adventum meis
Tanti Monarchae fratribus.
- Ephaebus: Nutum seqvor.

SCENA V.

Personae: Philetus, Elpistus.

- 215 Philetus: Recedat aula, Principem solum expeto.
Licetne paucis colloqui Elpisto?
- Elpistus: Licet.
Quid est, profare.
- Philetus: Nonne me pari satum
Frater fatetur sanguine?
- Elpistus: Hoc nemo negat.
- Philetus: Reitero dicta: nonne me pari satum
Frater fatetur sanguine?
- 220 Elpistus: Quid istuc rogas,
Qvod veritati consonum mundus probat?
- Philetus: Etiamne probat Elpistus?
- Elpistus: Et lubens quidem.
- Philetus: Ergo si eodem sanguine effusum probas,
Post fata patris gloriae haeredem quoque
Probas Philetem.
- 225 Elpistus: Gloriae haeredem probat
Tanto esse genitum patre nec major potest
Utrique nostrum gloriae census dari,
Qvam glorioso Principum effundi sinu.
- Philetus: Hic gloriae est utrique communis status.
- 230 Elpistus: Communis etiam gloria in laudem venit.
Philetus: Communis etiam gloria in probrum venit.
Elpistus: Nihil probrosi gloriae partus habent
Communioris gloriae sibi pares.
- Philetus: Non patitur ullum gloriae sedes parem
Nec laureatum gloriae culmen putem,
235 Qvod inter alios dividit sortis favor.
Aut altum honoris gloriae ascendo thronum,
Aut omnem honorem respuo.
- Elpistus: Quid ergo petis?
- Philetus: Patris occupare posthumum velim thronum.
- 240 Elpistus: Nunquam duorum jura regnantum valent
Uno sedere super throno.
Philetus: Hinc solum decet
Me jura populi scribere et solum essedo
Sedere aviti honoris, ut solus regam.

220 mundus] mudus *TF*.

- Elpistus: Me sors priorem genuit in regni decus.
 Philetēs: Te sors priorem genuit in regni probrum.
 245 Elpistus: Nunquam probrosos sortis afflavit favor,
 Fortuna solum decora virtutis solet
 Vultu benigno prosequi.
 Philetēs: Interdum quoque
 [133v] Haec caeca vitium sequitur ac probrum Dea.
 Elpistus: Sit ita. Sed unde appingis Elpisto probrum?
 250 Philetēs: Quid ista quaeris? Cede regnorum decus!
 Elpistus: Hoc iura patris, iura regnorum vetant.
 Philetēs: Hoc iura patris, iura regnorum jubent.
 Aut cede nobis sponte regnorum decus,
 Aut per cruentam sceptrā tollemus manum.
 255 Elpistus: Hanc praepedire poterit injustam chalybs
 Sceptri rapinam.
 Philetēs: Quid tuus possit mucro?
 Elpistus: Regni tueri iura.
 Philetēs: Vel citra moram
 Solii theatrum cede, dum licet, aut mihi
 Augusta regni decora decernet chalybs,
 260 Tuo irrigandus sanguine.
 Elpistus: Hoc ferrum potest
 Succidere alas improbae fratris spei.
 Philetēs: Adhucne servas iura regnorum?
 Elpistus: Id mihi
 Patriae voluntas, publicae rei bonum
 Ac vota svadent imperi.
 Philetēs: Id totum tibi
 265 In luculentum gloriae occasum parant.
 Elpistus: Imo in salutem patriae novum volunt
 Nos exoriri Cynthium.
 Philetēs: Hinc verae diem
 Salutis ortu gloriae nostrae feret.
 Aut iura regni desere, aut foedum tibi
 270 Cum spe futurae gloriae occasum damus.
 Tu poteris ante gloriae occasum pati.
 Elpistus: Qvis hoc minatur?
 Philetēs: Qvis mihi fatum parat.
 Elpistus: Si iura retines, sanguinem ac vitam dabis.
 Philetēs: Si jus lacessas, sanguinem crudum evomes.
 275 Elpistus: Si jus lacessas, sanguinem crudum evomes.
 Vim vi repellam.

	Philetēs:	Non tremis ferri minas?
	Elpistus:	Nec te, nec ullas chalybis horresco minas.
	Philetēs:	Num regna cedis?
	Elpistus:	Nec quidem regni pilum.
	Philetēs:	Ergo ensis iras excipe!
	Elpistus:	In nostrum rues!
280	Ephaebus:	Summos avere Principes Princeps jubet Patrophilus atque Thraciae Regem suis Adesse Laribus hospitem insinuat.
	Elpistus:	Bene est. Ergo ad severum Thraciae Regis forum Hodie Philetem provoco.
285	Philetēs:	Paratum habes. Ad destinatum Thraciae Regis forum Accelerero.
	Elpistus:	Praeeo.
	Philetēs:	Sed comite metu.
	Elpistus:	Potes Hoc cum subire.

SCENA VI.

Personae: Ariopharnes, Elpistus, Philetēs, Patrophilus, proceres, aula.

[134r]	Patrophilus:	Laetus hic pergat dies, Serena nostras juba in fibras vehens! Scenam subire gaudii in praesens juvat. Festiva resonent atria et plausum canat 290 Hoc recreatum jubare Cimmeriae solum! Accumbere igitur sigmati Princeps volet Unaque capere principem, ut par est, locum.
	Ariopharnes:	Morem favori gerere me Ducis decet.
295	Patrophilus:	Crispet sonoros Orpheus dulcis lyras Et vecta niveis juba quadrigis volent! Auro coronatum huc scyphum servus ferat! Hoc Ariopharnis reditus in nostros Lares Pleno bibatur sigmate. Aeternos agat Hospes per annos, integra Monarchae salus! 300 Canora nostrum firmet hoc votum chelys.
	Ariopharnes:	Grates refundo maximas. Nunc sed mihi Pares amori reddere licebit vices.

288 subire] Svr bire *TF*.

299 integra] integro *TF*.

- Plenum Falerno cimbium huc, famule, fave!
 Vivat Patrophilus, prosperos soles agat!
 Aeris sonoro murmure applausum date!
- 305 Procer 1: Auguste Princeps, fulgidum regnorum ebur
 Ferimus, supernis caelitus missum plagis.
 Patrophilus: A qvo?
 Procer 2: Tonante.
 Patrophilus: Qvando?
 Procer 2: Ubi litatum est Jovi.
 Patrophilus: Portenta narras.
 Ariopharnes: Imperi haeredem hoc ebur
 310 Ducem beabit.
 Ephaeбус: Magnanime Princeps, pari
 De stirpe geniti jam prope adventant Duces.
 Ariopharnes: His obviam ire convenit.
 Elp., Phil.:^k Summum Ducem
 Avere jubeo Thraciae!
 Ariopharnes: Reddo parem
 Ducibus salutem. Sigmati accumbant Duces.
 315 Jam resonet axis, perstrepat, canta, tuba!
 Hoc Principum unam gloriam scypho bibo.
 Haeres avitae gloriae vivat trias!
 Elp., Phil.: Vivat, secundo sydere aeternum regat
 Rex Ariopharnes Thraciae! Applausum date!
- 320 Patrophilus: Resumo votum: qvod suo guttas sinu
 Comprendit istuc cymbium, tot agat dies
 Monarcha Thracum! Firmet hoc votum chelys!
 Elpistus: Qvid hoc avitae gloriae sceptrum notat?
 Ariopharnes: Submissum ab astris proximum haeredem petit.
- 325 Philetēs: Qvem?
 Ariopharnes: Qvem Themistis^l justa decernet bilanx.
 Elpistus: Me trado juri Themidis, hic partes agat
 Summus Monarcha judicis.
 Philetēs: Statuat, cui
 [134v] Sit deferendum Principum hoc Regnorum ebur.
 Ariopharnes: Vestra optione judicis partes agam
 330 Et Themide justa deferam regnorum ebur.

^k Elp., Phil. = Elpistus, Philetēs.

^l Themistis, is, f. – varianta jména Themis, zde použitá zřejmě z metrických důvodů.

SCENA VII.

Personae: Elpistus et ejus familiares ephaebi.

- Elpistus: Nunquam esse nocuit providum, ast omnem juvat
Saepe experiri Principem ad solium viam,
Ut purpuratae gloriae obtingat scopum.
Hoc ambienti purpuram ac sceptri decus
335 Incumbit unum, gloriae ut palmam feram
Meisque tollam fratribus regnorum ebur.
Qva vero dabitur progredi ad solium via?
Qvodsi coronae regiae auratum jubar
Nobis petendum spiculi e jactu foret?^m
340 Exercitare Principi dextram sedet
In evibrando spiculo, ut centrum imperi
Victrix tangam dextera ac regni scopum.
Huc mihi sagittam. Primus in scopum vibro,
Ducem sequantur fida comitantum cohors.
- 345 [Ephaebus] 1: Dextre.
[Ephaebus] 2: Ego secunda tela vibrabo manu.
Elpistus: Artificiose.
[Ephaebus] 3: Jam ego jacio.
[Ephaebus] 1: Male.
Elpistus: Ast ego
Secundiore spiculum evibro manu.
[Ephaebus] 2: Prorsus eleganter.
[Ephaebus] 1: Proxime attingo scopum.
[Ephaebus] 3: Qvam longe aberrat!
[Ephaebus] 2: Ordo me jam nunc manet.
350 Elpistus: Jactus secundus.
[Ephaebus] 3: Altius tango
[Ephaebus] 1: Ad caelum prope.ⁿ
Elpistus: Errare tanto nescit in scopo manus.
Arcum resumo, spiculum in centrum vibro.
[Ephaebus] 1: Hic ter secundus jactus est, centrum tenet.
Eja, sonora Principi applaudat tuba!

^m *Foret* – konj. imperf., obvykle *esset*.

ⁿ Hypermetrický verš.

CHORUS

ACTUS II.

SCENA I.

Personae: Ariopharnes, Chelindus.

- 355 Ariopharnes: Qvi jura dictat gentibus et orbem probis
Dirigit habenis, deditum se uni sciat
Themidi ministrum nec suo solum regat
Mundum arbitrato, sed quod in leges jubent
Decreta Superum, peragat, ut quorum vices
[135r] Praesentat orbi. Praesides mundus probet,
Qvi juris aeqva regula hunc mundum regant.
Nec ipse Summus ageret astrorum Pater
Poli solique praesidem, si non suo
Latere foveret perpetem Astraeae fidem.
- 365 Hoc Imperantum proprium munus puta
Causas suorum noscere ac aeqvi forum
Justa balance regere, ceu Themis jubet.
In judicando veritas primas ferat,
Nec amor, nec odium judicis partes agant,
- 370 Sed merita causa ponderet. Nefas puta
Rectum aeqvitas arbitrum vel gratiae,
Vel precibus aliquid, jure perverso, dare.
Ut ergo juris ordo Cimmerio solo
Semper probatus specimen a nobis ferat
- 375 Solusque videat, qvo patet, mundi globus
Aeqvam tueri sceptrum Cimmeriae fidem,
Litigia fratrum cognito rerum statu
Justo exigamus pondere. Actutum vola,
Chelinde, proceres imperi ad nostrum cita
- 380 Pernix tribunal.
- Chelindus: Principum Princeps!
Ariopharnes: Qvid est?
Chelindus: Licetne nobis quaequam fari?
Ariopharnes: Licet,
Loquere, Chelinde.
Chelindus: Consili nostro jubar
Afulget animo.
Ariopharnes: Prome, quem Consum refers?

357 ministrum] ministrum *TF*.

359 Decreta] decerta *TF*.

Chelindus: Hoc nempe dictat animus, ut fratrum trias
 385 Avida coronae jura paterni^o expetat
 Regni per ictum spiculi et Rege arbitro
 Is in paternum mereat assumi thronum,
 Cujus secundum tela contingent scopum.

Ariopharnes: Placito Tonantis parile consilium refers
 390 Nobisqve placitum; qvod Jovi, nobis placet,
 Qvi se daturum regium in teli vicem
 Sceptrum sponndit. Ducibus in teli vices
 Regale sceptrum deferam. At nostri prius
 Animi arbitratum patribus regni juvat
 395 Palam exhibere, sensa si Proceres probant.
 Fac age, togatos imperi patres cita
 Huc ad tribunal regium.

Chelindus: Imperia exeqvor.
 Elpiste, spera, regium scandes thronum.
 Tu scepra solus, solus imperium geres,
 400 Hocce tibi telum gloriae incensum feret.

[135v]

Hic cantus.

SCENA II.

Post cantum.

Personae: Patrophilus et aula.

Patrophilus: Vigilone? An animo dubius illusit sopor?
 Adhuc inhaeret svavis auribus sonus
 Meis, salubre dogma substituens fibris.
 Qvis hos litanti Morpheo instinctus dedit,
 405 Stimulos qvis animo? „Telo amoris utere,
 Non vero Martis aut furoris spiculo
 Ad solium honoris gradere.“ An ergo illam Polus
 Benignus aperit ad thronum viam?^p
 Non vana sunt haec somnia, haec reor meae
 410 Praesaga fient gloriae et honoris gradus
 Nec suspicari proba mens aliud potest.
 Persaepe menti vera praesagit sopor.
 Ne vero ab umbris noctium tantum seqvi
 Honoris augem videar, Annales juvat
 415 Romae intueri, si qva fors nostro venit

402 svavis auribus sonus] Svavis à Sonus TF.

^o První slabika ve slově *paterni* prodloužena pod veršovým přízvukem.

^p Neúplný verš.

- 385 Chelindus: Má mysl radí, aby ti tři bratři, kteří touží
po koruně, soutěžili o právo na otcovo
království střelbou šípem. Ty, králi, budeš soudcem,
a převzít otcův trůn ať si zaslouží ten,
jehož střela šťastně zasáhne cíl.
- 390 Ariopharnes: Přinášíš radu, která se shoduje s přáním Hromovládného
a je milá i nám. Co se líbí Jovovi, líbí se i nám,
neboť on slíbil, že královské žezlo
daruje za střelu. Dám princům královské
žezlo za střelu. Bude však ku prospěchu věci,
když svůj nápad nejprve zveřejním a předložím ho
395 předním mužům království, abych věděl, zda šlechtici můj
úmysl schválí. Rychle, zavolej otce oděné tógami²⁶ sem
před královský tribunál.
- Chelindus: Tvé rozkazy vykonám.
Elpiste, doufej, vystoupíš na královský trůn.
Ty sám budeš držet žezlo a moc,
400 tento šíp ti přinese vůni slávy.

Zpěv.

2. SCÉNA

Po zpěvu.

Osoby: *Patrophilus a dvůr.*

- 405 Patrophilus: Bdím? Nebo si s mým duchem zahrál vrtkavý spánek?
V uších mi dosud zní líbezný zvuk,
který podsouvá mému srdci spásné naučení.
Kdo mi dal tyto popudy, zatímco jsem se oddával spánku,²⁷
kdo dal mé duši tyto podněty? „Použij střelu lásky,
nekráčeť k čestnému trůnu pomocí šípu, který přináší
válku nebo hněv.“ Otvírá mi tedy
dobrotivé nebe tuto cestu k trůnu?
410 Nejsou to jen pošetilé sny, domnívám se, že tato slova
budou předzvěsti mé slávy a důstojného postavení.
Řádná mysl se ani nemůže domnívat něco jiného.
Spánek velmi často předpovídá naší myslí pravdu.
Aby se však nezdálo, že se snažím dosáhnout vrcholu cti
jen kvůli nočním přízrakům, chci se podívat
415 do římských Análů,²⁸ jestli snad na můj sen

²⁶ Přední mužové království jsou zde tedy ztotožňováni s římskými senátory.

²⁷ Lat. *Morpheus, i. m.* – bůh snů, zde v obecném významu „sen, spánek“.

²⁸ Tj. Liviovo dílo *Ab urbe condita*.

Lux veritatis somnio. Evolve typum
 Foliumqve relego proximum. Pro, quid notat
 Isthic character positus? Admirans lego:
 „Imperium habebit maximum, qui deferet
 420 Primus parenti basium.“ Quid haec volunt,
 Nisi telo amoris gemmeum regni decus
 Esse aucupandum? Legere contextum placet:
 „Spectare vocem Pythicam ratus alio,
 425 Quasi cecidisset, contigit terram osculo
 Brutus et eburnum scandere est meritus thronum.“^q
 O Brute! Qvi te sortis arridet favor,
 Ubi matris unum te osculum †a nobis avet†^r
 Et hoc amoris spiculum a nobis avet
 Illapsus auri sonus, ut imperium petam.

SCENA III.

Personae: Ariopharnes, qvatuor proceres, ephaebi.

430 Ariopharnes: Praecelsa regni decora, Cimmeriae patres,
 Qvos summa solii cura viduati tenet!
 Novum ut capessat imperi fasces caput
 Patrisqve tenent^s jura suffectum throno,
 Ne destitutum Principe sit ultra solum,
 435 Patrum in corona, quem velit sceptro Polus
 Misso superne principi admotum tholo,
 Venit exigendum. Principes quidem pares
 Cimmeria tellus attulit et aeqvos dedit
 Oneri lacertos Cimmerii Atlantes Poli.
 440 Regalis ambit vita cunctorum caput,
 [136r] Dignum coronis pluribus et omnes petit
 Conchiliato murice coruscans chlamys
 Omnesqve viduus patris expectat thronus.
 Hunc imperare Jupiter regno cupit,
 445 Qvi faustiore spicula vibrabit manu.
 Itaque parentis cor statuo regni scopum.
 Hic occupabit patris exanimis thronum,
 Qvi faustiore cor patris telo impetet,
 Patris impetito corde sibi figet thronum.
 450 Hinc Parysadae Regis actutum satos

^q Cf. Livius, Ab urbe condita I, 56.

^r Zřejmě chybně zapsáno podle následujícího verše.

^s První slabika ve slově *tenent* prodloužena pod veršovým přízvukem.

Procer 1: Adesse arenae volumus.
 Hos ergo, cohors
 Fida famulantum, praelio indicto cita
 Ducibusque defer esse repetendum thronum
 Telo a parentis pectore in scopum dato.
 455 Vos vero functi Regis e tumulo erutum
 Patientiori ponite cadaver loco
 Et id alligantes arbori in metam date.

SCENA IV.

Personae: Elpistus cum ephaebo, umbra, Philetas cum suis.

Elpistus: Tandem ergo, tandem gloriae augustum jubar
 Regniqve decora consequar ac ebur patris.
 460 Hoc nos levabit spiculum ad regni thronum.
 Gradior secundo tramite et metam mei
 Prosequor honoris. At horror invadit sinus
 Et subita retro vis reluctantem trahit,
 465 Animum minaci terror obturbat malo.
 Quid, anime, trepidas? Paveo nec causam mei
 Video pavoris.
 Umbra: Cernis exanime tui
 Corpus parentis, impie.
 Elpistus: Heu, qvalis meos
 Funestat oculos umbra?
 Ephaebus: Heu, Princeps, fuge
 Ferale spectrum!
 Elpistus: Fugio! Vah, qvi se citant
 470 Manes palude Taenari? Horribili qvatit
 Animum pavore terror. Ah, qvis me locus?
 Facesse, spectrum!
 Umbra: Siste furiosum impetum
 In cor parentis!
 Elpistus: Fulgura in voces citat.
 475 Adeste, famuli! Cede, quid rursus redis?
 Abscede, tristes Taenari lacus pete!
 Nos aula Regum, te decet noctis chaos.
 Quid adhuc recursas? Fugio!
 Philetas: Qvo Princeps ruit?
 Elpistus: Qvae larva rursus horridae infestat Stygis?

473 parentis] Parentis TF.

Hei me!
 Philetus: Philetem quid times?
 Elpistus: Philetem amo,
 480 Ast horreo umbras Taenari, averso, fugo.
 Philetus: Umbra nec umbra est uspiam.
 Elpistus: Ah, grandi metu
 Me patris umbra perculit.
 Philetus: Quid agis? Patris?
 [136v] Elpistus: Ita est, parentis umbra non dubia mihi
 In luce patuit. Fuge, eheu, rursum redit!
 485 Philetus: Qvod fingit animus, oculus illusus videt.
 Elpistus: Non fingit animus, oculus ubi clare videt.
 Umbram, ah, parentis horreo.
 Philetus: Horres? Num quoque
 Ferire pectus spiculo exhorres patris?
 Elpistus: Quid expavescam, scandere ubi solium licet?
 490 Hac spe paternas lanio frustatim fibras
 Corque genitoris millies trado neci.
 Philetus: Vim ferre patri jura naturae vetant
 Et visa patris umbra te monitum cupit.
 Elpistus: Et visa patris umbra nil mentem movet,
 495 Repetere regna jure naturae licet.
 Philetus: Non per parentis vulnera.
 Elpistus: Et saevam necem.
 Natura quidvis, quo tibi prosis, jubet.
 Age jam, Philetus, quo jubet regnandi amor,
 Iter urgeamus. Gloriam obtinget scopus
 500 Et solium honoris, cor modo petatur patris.

SCENA V.

Personae: Patrophilus, Larinus.

Patrophilus: Patrophile! Qvas te turbo praesentis mali
 Rapi in procillas? Aut enim in patrem impius,
 Aut esse iniquus cogaris tibi. Si vibras
 505 Jaculum, in parentem es impius, quod si abnuis
 Certare jactu spiculi, es iniquus tibi.
 Pium in parentem jura naturae jubent,
 Nec esse iniquum jura regnandi volunt.
 Obtemperare utrique non possum, neque
 Huic vel illi est integrum illaeso altero.
 510 Qua parte mentis dubia consilia regam?

490 frustatim] frustatim *TF*.

- Qvodsī parentis cor ferio, thronum qvīdem
 Conscendo, sed me filium verum nego;
 Verum exhibebo filium, throno excido.
 Patrophile, qvīd ages? Adeo sim impius, ut novo
 515 Post fata patrem vulnere et nova qveam
 Morte enecare? An adeo sim mollis, mei
 Ut amore patris perpetim inhonorus velim
 Throno exulare? O sortis ambiguae vices!
- Larinus: Qvīd agis, Patrophile? Turbo qvis mentem rotat?
 520 Praestat ferire patris cor et regno frui.
 Patrophilus: Qvin non ferire praestat et regno exui.
 Larinus: Obtemperare iudicis legi decet.
 Patrophilus: Obtemperare legibus amoris decet.
 Larinus: Non vetat amoris lex id, ut telum vibres.
 525 Patrophilus: Vetat in parentem.
 Larinus: Pro throno regni jubet.
 [137r] Patrophilus: Amor in parentem et pro throno esse ferum vetat.
 Larinus: Vibrare teli jacula nil ferum puta.
 Patrophilus: Ast in parentem barbarum id nimis puta.
 530 An ego in parentem potero, qvi vitam dedit,
 Crudelis esse? Neqve volo, neqve valeo, amor
 Id vetat.
 Larinus: At ictum haud sentiet teli pater.
 Patrophilus: Sentiet' ictum spiculi, ah nimis, pater.
 Larinus: Sentire telum mortuus neqvit pater.
 Patrophilus: Cor filiale mortuo vivit patre,
 535 Hoc vulnerato sentiet, ah nimis, patre.
 Larinus: Non opus, ut in cor fortiter telum vibres.
 Patrophilus: Adhuc dolebit.
 Larinus: Sufficiet, ubi patris
 Prope cor vibraris spiculum.
 Patrophilus: Sed ita patris
 540 A corde aberrans imperi perdam thronum.
 Patrem, ah, ferire renuo! Qvōd statui, ratum est.
 Malim carere millies regni throno,
 Qvam ut tam feroci saeviam in pectus patris
 Furoris oestro. Verum, ut eventus rei
 Nobis patescat integre, ut iudex jubet,
 545 Determinatum provolo in arenae locum.

534 filiale] filiare *TF*.

¹ Druhá slabika ve slově *sentiet* prodloužená pod veršovým přízvukem.

SCENA VI.

Personae: Ariopharnes, Elpistus, Philetas, Patrophilus, proceres et aula tota.

- Ariopharnes: Agenda res est, mortui in scopum patet
Pectus parentis. Primus imperii petat
E spiculi ictu jura, qvi natu prior
A patris obitu remanet.
- Elpistus: Ut Princeps jubet.
- 550 A corde patris primus imperium peto.
Quid hoc, nec ullum spiculum est nobis super?
- Philetas: Portendit aliquid.
- Elpistus: Mutuum accipio mihi
A fratre telum. Jam ferio patris fibras.
Omen sinistrum!
- Philetas: Natu ego secundus manu
- 555 Secundiore in cor patris telum impeto.
Patrophilus: O efferata pectora! O rabidae manus!
Philetas: Nostras quoque manus error infelix habet.
Ariopharnes: Agesis, Patrophile, faustior te sors manet.
A sauciatis repete genitoris fibris
- 560 Regni coronam.
- Patrophilus: Quid? Ut ego in pectus patris
Telum furoris exeram? Quid me jubes?
Hoc neque volo, neque valeo, nos amor vetat
Pius in parentem.
- Elpistus: Quid times? Feri!
- Philetas: Patris
- 565 A corde, meta gloriae, augustum pete
Diadema regni.
- Patrophilus: At negat amor.
- Elpistus: Et ebur tibi
Regni negabit.
- Patrophilus: Sit licet, pluris mihi est
Amor parentis, quam vel imperii queant
Valere fasces. Abnuo, ah, cor abnuo
Ferire patris! O pater, o dulcis pater
- [137v] Et cor parentis aureum! Huic ego novum
570 Post fata vulnus inferam et novam necem?
O dirus, atrox, saevus, immanis furor!
Quid dulcis egit genitor, qvi vitam dedit?
An ergo majus facere quid potuit? Nihil.

558 sors] sor *TF*.

565 At] ad *TF*.

- 575 Quid enim venire carius vita potest?
Et ego tamen, o dolor, ego siem^u in patrem impius^v
Et cor, ubi vitae sedes est, telo impetam?
Cor amore patris aestuans nunquam sinet,
Cor ut ego patris lancinem. Hoc minus qveo, ah,
580 Cor dulce patris! Prome singultus, dolor,
Oculosqve densa conde lacrymarum vice.
Ephebus: O uniones ebore pensandi!
Patrophilus: Procul
Recedat arcus, abeat in malam crucem
Et hoc furoris spiculum in partes eat!
585 Neqveo ferire patris cor. O dulcis pater,
Pater adamate millies, pater mei
Pars summa cordis, basium a nobis cape.
Procer 2: Dignum corona facinus.
Procer 3: O factum pium!
Procer 1: Ille genuinum filium sese probat.
590 Omnes: Meret Patrophilus, imperi fasces gerat.

CHORUS II.**ACTUS III.****SCENA I.**

Personae: Elpistus, Chelindus.

- Elpistus: Sperare quidquid licuit, interiit. Eheu,
Nimis sinistram sortis infaustae rotam!
Praecisa spes est gloriae, imperio excidi!
Pudet micantis Cynthii inimicum jubar
595 Tremulosqve, Triviae decora, caelorum choros
Pudet intueri, fata si sceptris frui
Nobisque avito murice potiri negant.
Quid juvat honoris jubare viduatam Duce
Vidisse lumen Cynthii? Ah, nihil juvat,
600 Si purpurata gloriae nunquam licet
Luce renitere! Satius umbrarum domos
Inhonora visat vita, quam semper gemat

577 sedes est] Sedis es *TF*.

578 aestuans] aestuum id *TF*.

595 Tremulosqve] Tremulasqve *TF*.

^u *Siem* – arch. varianta konj. préz. slovesa *esse*.

^v Hypermetrický verš, o *dolor* pravděpodobně nadbytečné.

605 Luce viduata gloriae. Id potui quidem,
 Sperare potui gloriae augustum jubar
 A corde patris saucio. Verum, o dolor,
 A meta aberrans dextera cupito intulit
 Umbras honori! Decidi regno, jacet
 Honoris ostrum, nomen illustre et decus
 [138r] Generis avitum periit et solus sibi
 610 Elpistus est super? Quid? Nec ego sum super?
 Sine honore vitam ducere infelix nimis
 Et vita in umbris gloriae mors est Duci.
 Ergo aut avitum gloriae aspectem jubar,
 Aut luctuosam fata decernant necem.
 615 Malim profundis degere umbrarum plagis,
 Qvam purpurata gloriae orbari die.
 Ast nulla nobis amplius regni manet
 Spes reliqua, nulla! Video regnorum jubar
 Lumenque solii video, sed nunquam meam
 620 Videre sortem dabitur in regni die.
 Ne cogar ergo honoris erepti jubar
 Moesto intueri lumine, invitus licet,
 Hodie subibo noctis aeternae domos!
 Acinace isthoc pectoris rumpo sinum,
 625 Daturus animae debitum ad Manes iter.
 Age ergo, chalybis ira, quod tempus jubet
 Ardetque rabies, munus extremum para
 Viduumque regno sangvinem e venis cita!
 Quid hoc? Ferire renuit Elpistum chalybs.
 630 Quid tunc jussa renuis? Aut tuo illico^w
 Irrue furore, aut impete in vitam rues.
 Mea quis ensem dextera excussit timor?
 Ergo violentus perface, quod ultro negas.
 Incumbo in ensem, pereo.
 Chelindus: Pro, Jovem quid hoc?
 635 Elpistus: Sine me perire.
 Chelindus: Fata supremum tibi
 Statuere necdum terminum.
 Elpistus: Quid nos vetas
 Forti perire dextera?

621 honoris] hororis *TF*.

631 in vitam] invitam *TF*.

^w Metricky chybný verš.

- Chelindus: Infami veto
Manu perire Principem. Ignavi est sibi
Fata invocare.
- 640 Elpistus: Fata ne Elpistus citet,
Aliena cogat dextera in ferrum manu.
Agedum, rigore ferreo hoc pectus feri.
- Chelindus: Ferire renuo Principis amati fibras.
Elpistus: Immerge chalybem, perge, quid nectis moras?
Cito perge, munus gratiae extremum peto
645 A te, Chelinde!
- Chelindus: Jam aliud a nobis pete.
Elpistus: Huc redde ferrum.
Chelindus: Siste praeproperum tui
Animi furorem.
- Elpistus: Spiritum ad caecas Stygis
Impelle noctes.
- Chelindus: Satius infestas jube
Abire noctes pectore.
- 650 Elpistus: Serenum rapit
Animi nitelae gloriae abreptum decus.
- Chelindus: Nemo Duci adimit gloriae ac regni decus.
Elpistus: Quid nemo?
Chelindus: Nullus.
Elpistus: Unus infaustae manus
Abripuit error gloriae augustum jubar.
- [138v] Chelindus: Duci sed ictus purpurae augustum jubar
655 Reddet secundus. Qvod semel non fit, fit hoc
Freqvens secundo.
- Elpistus: Non mihi secundo licet
Certare jactu spiculi.
- Chelindus: Dum vis, licet.
Elpistus: Volo, sed una solus imperium volo.
- Chelindus: Soli theatrum gloriae Elpisto patet.
660 Elpistus: Ast qui theatrum gloriae ac thronum patris
Scandere licebit?
- Chelindus: Corde si laeso patris
Palmam reportes, imperi summam geres.
- Elpistus: Vis in parentem denuo telum vibrem
Et sauciato corde genitoris feram
665 Victrice palmam dextera et scandam thronum?

650 nitelae] nitele *TF*.

Chelindus: Sic est nec alio purpurae auratum jubar
 Pretio mereri poterit. Hinc metam subi
 Rursus priorem, sauciis patris fibris
 Eripere poteris fratribus regnorum ebur.
 670 Elpistus: Eo et Philetem praelii in partes cito.
 Chelindus: I, perge, qvo te provocat regni decus.

SCENA II.

Personae: Proceres, Larinus.

Larinus: Qvis ergo tandem principem ascendet tholum?
 Procer 1: Qvem purpurato destinat summi throno
 Dexteram Tonantis, is meret regni essedum.
 675 Procer 2: At destinatum regio nullum throno
 Licet intueri Principem.
 Procer 3: Nulli Ducum
 Invida Tonantis dextera imperium dedit.
 Procer 1: Mittendo ad aras caelitus regnorum ebur
 Provida Tonantis dextera imperium dedit.
 680 Larinus: Cujus regendum dextera?
 Procer 1: Illius Ducis,
 Qvi scepra telo petiit a laeso patris
 Pectore. Ita sceptro lemma subjunctum notat
 Placitum Tonantis: „Scepra pro telo damus“.
 Procer 3: Sed nemo telum pectori immersit patris
 685 Ducum, ergo nulli scepra pro telo dabit
 Favor Tonantis.
 Procer 1: Maximis natu satis
 Favor Tonantis deferet regnorum ebur.
 Vel enim Philetas, vel ebur Elpistus gerat
 Favore Superum.
 Procer 2: Qvomodo? Nunquid Ducum
 690 Propositum uterqve telo aberravit scopum,
 Pectus parentis?
 Larinus: Jure qvo sceprum auferent?
 Hinc nec Philetas, nec ebur Elpistus geret.
 Procer 1: Statutam uterqve metam aberrarint licet,
 695 Hic tamen avita scepra gyrabit manu,
 Viciniore tela qvi fixit loco,
 Sceptro ac corona dignior functi patris.
 Hunc scepra caelis missa pro telo manent.

673 destinat] desinat *TF*.

697 scepra] Sceptro *TF*.

- [139r] Larinus: Me iudice tamen filius sceptro venit
Dignior eburno Patrophilus.
- Procer 1: Non hunc volunt
- 700 Superi rotare sceptrum.
- Larinus: Sed hic unus meret
Ebore beari regio. Tanto satus
Parente dignus, spiculo qui cor patris
Tetigit secundo. Caelites isthunc volunt
Gyrare sceptrum.
- Procer 1: Nusquam scio Ducem
- 705 Vibrasse telum mortui in patris fibras.
- Procer 2: Ferire telo respuit pectus patris.
- Larinus: Respuit, amoris usus est telo, patris
Debasiando pectus. Idcirco meret,
Pro telo amoris sceptrum Cimmeriae gerat
- 710 Et tanto amori in praemium auratum ferat
Diadema regni Patrophilus. Huic se lubens
Cimmeria tellus iure subjecto dabit
Et nos beatae sortis expectat favor,
Cum sceptrum capiet Patrophilus, quanto minor,
- 715 Tanto corona dignior patris satus.
- Omnes: Brevi id futurus cernere eventus dabit.

SCENA III.

Personae: Elpistus, Philetus et aula etc.

- Elpistus: Regna moderari maximum est Regum decus,
Hoc nihil in orbe majus a Caelo datur.
- 720 Philetus: Nil denique homines inter ac Deos fuit
Eritque semper pulchrius regni nota,
Nam viva imago Numinis rector soli est.
- Elpistus: Qvicumque terris imperat, summi vices
Gerit Tonantis. Hoc tamen honoris decus
Malit Patrophilus perditum, o stolidum caput,
725 Et aestimare nescium regni thronum!
- Philetus: Qvam exigua res est mortui in pectus patris
Vibrasse telum et hoc assequi thronum licet,
Dummodo secunda spiculum evibret manu.
- Elpistus: Qvis id recuset, quando tam levi potest
730 Regnum parari? Patrophilus? O mentem levem
Suique honoris prodigam!
- Philetus: Sponte hic sua
Throno velit carere? Vah, fungus Ducum.

	Elpistus:	O stipes auro dives!
	Philetus:	O prudens caput, Velle spoliari purpura ac regni throno!
735		Qvis iubet avitum perdere imperii decus? Pietasne patris exulem throno iubet?
	Elpistus:	Pro, sancta pietas! Qvanta consciscis bona!
	Philetus:	Throno exulare maximum nempe est bonum.
740	Elpistus:	Mihi placet etiam per patris crudam necem
[139v]		Scandisse solium, jura naturae vetent, Obsistat Aether, jura pietatis vetent, Ego jura Caeli, jura proculco soli, Ego fas, ego nefas, ego Jovem, ego jura omnia Detestor, abnuo, dummodo regno fruam.
745		Jamque calet animus, intimis turgens fibris Stimulat in ausus ardor et rursus incitat Repetere telum. Age frater, ut tacto scopo Secundiore dextera, aut mihi, aut tibi, aut Utrique avitum gloriae accedat decus.
750		Huc provolamus, quo citat regni ambitus. Tendamus arcum denuo, placet?
	Philetus:	Placet
		Repetere rursus spiculo regni thronum.
	Elpistus:	Stamus in arena. Tu prior telum vibra, Philete.
	Philetus:	Qvin tu, Elpiste, vibrato prior.
755	Elpistus:	Cedo minori.
	Philetus:	Cedo majori, est opus, Per ipsa cedat jura majori minor.
	Elpistus:	Haec cedo jura.
	Philetus:	Seqvere naturae ordinem.
	Elpistus:	Seqvor priorque jaculum infligo fibris.
	Philetus:	Nihil, ego medias dividam telo fibras.
760	Elpistus:	Qvoque nihil.
	Philetus:	O nimis invidum nobis Jovem!
	Elpistus:	Invida parentis fata! Repeto ictum, accidet, Ut hocce jactu gloriae attingam scopum. Omen sinistrum!
	Philetus:	Sed ego contingo scopum. Nihil, hei, sinistras sortis adversae vices!
765		Cedo ex arena.
	Elpistus:	Revocat e campo furor.

SCENA IV.

Personae: Chelindus, Levindus, Larinus.

- Chelindus: O turpe facinus!
 Levindus: Impium, dirum, efferum
 Et abominandum facinus!
 Chelindus: Haec ausint^x sati,
 Per saeva patris vulnera ad solium gradi?
 Qvis tale vidit hactenus in aula nefas?
 770 Ubi filialis amor?
 Levindus: Ubi est pietas patris?
 Ideone genitor lucis usuram dedit,
 Ut is, satorum vita, post vitae exitum
 Ausu impetatur improbo, nova qvasi
 Morte enecandus? O impius regni ambitus!
 775 Chelindus: Qvo fastuosos Principes transversum agit,
 Ut saeviores Phosphoro ac regni †Scyne†
 Crudeliores gloriae optarint thronum
 Scandere paternis vulnere inflicto fibris?
 Levindus: Itaque repetitis vicibus! Haec meruit pater
 780 A sobole? O rabies caeca, o immanis furor
 Immaniusqve dexteræ ingratae nefas!
 Chelindus: Quid agimus? Eadem servitus an adhuc placet?
 Levindus: Servire sceleri nusquam nobis placet.
 [140r] Servitur isthic sceleri, ubi regnat scelus.
 785 Chelindus: Ubi nulla pietas patris, hic regnat scelus.
 Fac age, Levinde, Principum exosi Lares,
 Patrophili aulam praepete petamus gradu.
 Levindus: Stat mente fixum, mite qvi regnum tenet,
 Semper fidelem stare ab obseqviis duci.
 790 Sed en! Larinus obvius nobis adest.
 Hocce duce faustum vota contingent scopum.
 Larinus: Qvo vestra celerem vota propellunt gradum?
 Chelindus: Qvo te fidelis servitus gradi jubet.
 Larinus: Me jubet adire concitum augustal^y Ducis
 795 Insigniendi purpura ac regni throno.
 Chel., Lev.:^z Una subire regiam menti sedet
 Aulam perosae Principum, qvibus effera
 Dominatur ira ac saevus in patrem furor.

797 perosae] perose TF.

^x Neklasický tvar konj. préz. slovesa *audere*.

^y Doložen pouze tvar *augustale, is, n.* – stan nebo komnata císaře. Zkrácený tvar zřejmě vytvořený analogicky podle jiných zpodstatněných adjektiv (*animal, vectigal* aj.) a zde použitý z metrických důvodů.

^z *Chel., Lev.* = *Chelindus, Levindus*.

Larinus: Una subire principem fas est domum,
 Si servitatem perpetem datis Duci.
 800 Chel., Lev.: Et servitute perpeti obstrictos sibi,
 Et purpurato regia videbit Duci.

SCENA V.

Personae: Ariopharnes, Patrophilus, Proceres, ephaebi.

Ariopharnes: Potentis aulae decora, magnanimi Duces,
 Qveis^{aa} tota Regum nititur et orbis salus,
 805 Basis alta regni! Principe indignos throno
 Altoqve honoris essedo Themis probat,
 Qvi praepotentes ambitus regni coqvunt
 Et per parentis funera ad solium gradi
 Non erubescunt. Perpetim e solio patris
 810 Meret exulare saevus in patrem furor.
 Honoris apices merita virtutum petunt,
 Ubi ergo nulla merita virtutum vigent,
 Nulla qvoqve decora gloriae ac regni merent.
 Sed nulla fratres merita virtutum probant
 815 Natu priores, nulla qvos movit patris
 Pietas nec igitur imperii fasces merent.
 Solus meretur sedis auratae jubar
 Aureus ab animo Patrophilus. Illum pius
 Amor in parentes in thronum locat, hunc volunt
 820 Sancita patriae proximum haeredem patris.
 Virtutis haeres, jure regali patris
 Haeres adesse veniat et mihi regat
 Benignitate vidua regnorum juga.
 Hinc Parysadae proximum imperii caput
 825 Regniqve columen Patrophilum in praesens creo.
 Proceres, probatis?
 Procer 1: Qvi Ducem populis creat,
 [140v] Salubre mundo Cynthii accendit jubar.
 Patrophilus orbi regnet haud Phaebo minor.
 Procer 2: Divina natum dextera ad solium levat
 830 Amorqve patris promovet, regno imperet.
 Procer 3: Vita genitoris purpuram ac sceptrum gerat
 Et jura patris, laesa per fratrum nefas,
 Pietas perennis firmet et nati fides.

822 adesse] abesse *TF*.

828 orbi] orbe *TF*.

^{aa} *Qveis*, arch. tvar dat. pl., klas. *quibus*. Podobně viz v. 848.

- 835 Parta pietate scepra te summum decent,
 Patrophile, Regem. Faustior plaudet tuo
 Subjecta svavi Cimmeria tellus jugo.
 Procer 4: Excelsa prorsus indolis tantae nota
 Dignum corona jussit aptari caput,
 840 Eximia cujus ora Majestas Jovis,
 Minerva mentem, labra formavit Charis
 Et parte ab omni Principis fulgent notae.
 Omnes: Haeres paterni Patrophilus regnet soli!
 Ariopharnes: Agedum, sine mora regias profer notas,
 Ebur, tiara, purpura aptetur Duci.
 845 Patrophilus: Onerosa moles, scepra non paribus onus
 Minantur humeris.
 Procer 1: Sed pares virtus facit.
 Procer 2: Paresque pietas edocet.
 Ariopharnes: Regum decus,
 Capesse regni decora, qveis felix diu
 850 Post fata patris imperii summam geras.
 Hoc jura sortis, vota populorum, patrum
 Decreta, Procerum studia, regnorum salus
 Et filialis in patrem pietas jubet.
 Patrophilus unus imperi fasces gerat!
 Omnes: Patrophilus unus imperi fasces gerat!
 855 Ariopharnes: Aurea coronet tempora hoc auri jubar!
 Patrophilus: Sed invidebit livor hoc fratrum jubar.
 Ariopharnes: Humerosque trabea.
 Patrophilus: Grande cervicibus onus.
 Ariopharnes: Aurata dexteram^{bb} scepra.
 Patrophilus: Ne fratrum impius
 In nos furoris teli procudat furor!
 860 Ariopharnus: Conscende solium gloriae.
 Patrophilus: Ut lapsu ruam
 Graviore.
 Ariopharnes: Nullam Principis amantis favor
 Metuit ruinam. Perge, qvo virtus vocat
 Pietasque patris promovet, solium subi.
 Patrophilus: Favoris alto mergimur, tantae pares
 865 Benignitati reddere affectus vices
 Jure obligatus noster haud potis est amor.

834 Parta] Parto *TF*.

^{bb} Z metrických důvodů nutno vyslovovat jako stažený tvar *dextram*.

- Ariopharnes: Qvem quisque legit, Principem agnoscat suum,
 Patris ob amorem posthumo admotum tholo.
 Bene auspicatum laetus imperio diem
 870 Coronet axis! Vivat et faustos regat
 Patrophilus, annos dignior sceptro satus!
- [141r] Procer 1: Perspicua mundi gemma.
 Procer 2: Deliciae Deum.
 Procer 3: Corona patris, aureum Regum jubar.
 Procer 4: Sublime columen imperi, terrae salus.
- 875 Ariopharnes: Jam feriat auras aere clangenti tuba,
 Poean sonoris perstrepet Cyrrhae jugis.
 Mulcente docto barbitos Aonidum choro.^{cc}
 Applaudat aether vosque regalis soli
 Soliiqve celsa decora, Cimmeriae jubar,
 880 Astris secundum, ducite triumphis diem.
 Sereniore sceptrum jam fulgent coma
 Et nos serena revehit ad plausum dies.
- Omnes: Eant honorum gloriae incensum notae!

EPILOGUS

Ad M. D. Gl. S. Joannis Nepomuceni

877 docto] docta *TF*.

In fine Joannis] Joanni *TF*.

^{cc} Hypermetrický verš.